

Rob. Bellarmino S.R.E. Cardinali. Romam.

Ill/me et R/me Domine,

De Gemitu columbae, R.P. Praeposito Antverpiensi reddente, accepi; et editionem huius opusculi, quod priorum de Ascensione mentis
5 in Deum et felicitate sanctorum, velut supplementum est, libens merito acceleravi, ut his mundinis Plantiniana juxta alias editiones Francfurti appareret: in qua eadem a nobis quae in prioribus cura adhibita est, ut collatis S. Scripturae locis cum Vulgatae Editionis textu, nihil aliud diversis characteribus distingueremus quam
10 ipsa Vulgatae et Clementinae editionis verba. Unicum versum Psalmi 94 excepimus, Venite adoremus, quem ob perpetuum Ecclesiae in officio divino usum haud aliter eminere posse credidimus quam ipsas Vulgatae editionis voces. Porro capitum indici, rerum indiculum subjunximus, ut in opusculo de felicitate factum. Spero omnia ex Ill^{mae}
15 D.V. voto. Sex tantum huius opusculi exempla mitto, quia pauciora sibi mitti alias postulavit, et tua alterius recusi de felicitate, plurium autem, loco substituo recentes aliquot typographiae nostrae fructus, Concordantias SS. Bibliorum emendatas, Rituale romanum, Thomae a Kempis de imitatione Christi cum vindiciis Kempensibus P. Heriberti Rosweydi adversus Abbatem S. Baronti, P. Hermannii Hugonis de
20 prima scribendi origine et universa rei litterariae antiquitate, Laurentii Beyerlinck examen profectionis M. Antonii de Dominis, Eriicii Puteani Pietatis Thaumata in proteum parthenium P. Bernardi Bauhusii, denique Cl/mi Domini Jacobi Bosii de triumphanti et gloriosa
25 sa Cruce libros: quo isthic reddente, fasciculum hunc librorum, quem pleniori ejus sarcinae conjunximus, Ill/ma D.V. recipiet; et aequi bonique ut consulere dignetur, rogamus. De Ascensione mentis brevi item recudere cogitemus; et si quid in eo additum vel correctum velit, moneri optemus. Officium S. Caroli Confessoris, in typographia R. Camerae Apostolicae excusum, D. Andrea Brugiotti bibliopola mittente accepimus: ut monuit nos R. P. Gabutius aliquid in eo re-

/ censendum. Itaque inserere Breviario abstinemus, donec quid in eo mutandum intelligamus. Nonnullos vero qui hic illud legerunt, voces istae in Lectione V offendunt, quibus ab avunculo copiose fuerat cumulatus: atque aiunt, quanto laudabilior praedicabitur in sancto
5 Carolo dimissio copulatae copiae Ecclesiae sacrorum proventuum, tanto damnabiliorem visum iri malevolo aliqui lectori copiosum ecclesiasticorum proventuum cumulationem ab avunculo Summo Pontifice in suum nepotem. Quare Ill/mam D.V. obsecramus, quod in eo corrigendum sit, prima nos opportunitate admonere ne gravetur. Insuper
10 de interpunctione decimi et undecimi versuum Psalmi XXI ab Ill/ma D.V. doceri desideramus ultra potius deinceps nobis observanda: nam hactenus juxta primum Breviarii editionis Clementinae et sacrorum pariter Bibliorum exemplar, a vocibus In te projectus sum ex utero versum inchoamus, quas posteriores Breviarii in Italia editiones
15 sub versus decimi finem annectunt.

Vale Ill/me et R/me Domine, publico Ecclesiae catholicae bono, et mea fratrisque mei obsequia benignus admitte. Antverpiae, in officina Plantiniana. XI Kal. Maias. 1617.